PARS SECUNDA
LIBRI TERTII
Continens seorsim de Martyrum Fide, Spe, & Charitate encomia varia.

De FIDE singulatim.

CAP. I.

Martyres sunt Fidei Antesignani: ipsa verò Fides splendidissimum est Christi vexillum.

S. Nyss. 652 SIc Nyssenus Episcopus Gregorius Orat. 2. de quadraginta Martyrib. eo Martyres elogio afficit, *Milites Christi, Sancti Spiritus armigeri, Fidei Antesignani.* Certè Antesignani milites dicebantur, qui ante vexilla in acie collocabantur; à Græcis dicti *propugnatores signorum*; & à loco *præpositi*, quia præponebantur ante vexilla, ut illis essent tutamento, vel cum vitæ etiam dispendio. Ejusmodi planè sunt Ecclesiæ Martyres strenuissimi; verè Christi milites nobiliores, Divini Spiritus armigeri fortiores, Christianæ Fidei Antesignani generosiores, & propugnatores optimi; qui usque adeò Fide excelluerunt, ut pro ipsius Fidei munimento sanguinem, vitamque animosè profuderint, innumeris, ac immanissimis divexati tormentis. Fides verò ipsa proinde, ad instar est vexilli multa emicantis luce, & divinissimo Imperatoris Jesu nomine irradiati. Ut verò hæc luculentissima appareant, spectrum à Joanne prospectatum Apoc. 12. novo quodam splendore discutio.

653 *Signum magnum apparuit in cælo; mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus;*
Apoc. 12. 1. *Signum pro vexillo.* *& in capite ejus corona stellarum duodecim.* Ubi notari in primis debet, *signum* hic commodè usurpari pro *vexillo*, ut in aliis sacræ Scripturæ locis Isai. 5. 26. Ps. 73. 4. Apparet ergò in cælo, id est, loco erectum sublimi, vexillum splendidissimum; quandoquidem omnia cœli luminaria in illo longè, latèque emicabant, Sol, Luna, & stellæ. Communis Interpretum existimatio est, hac heroina fœmina adumbrari Christi Ecclesiam. Non abs re erit asserere, designari eo divinissimo spectro, & vexillo *Christianam Fidem*, quæ fœminæ instar pulcherrimæ solet effingi, & luminosi vexilli nomenclaturâ condecorari. Quò spectant Beda in Apoc. & Rupertus lib. 6. de Operi. Spiri. S. lib. unico de fortitudi. cap. 14. *Insidiatur matri Ecclesiæ Diabolus: Christum, id est, Fidem Christi, quam illi prædicabant, extinguere contendens in cordibus credentium.* Et quidem rectè fidem dixit esse matrem; extat enim omnium fidelium mater, sub cujus gremio Orthodoxi vivunt universi: ut loquitur S. Laur. Justi. de ligno vitæ cap. 5. *Hominem quoque Fides facit Dei filium nemo enim sine Fide ad filiorum Dei potest pervenire numerum.* Et cap. 6. signatim Fidem appellat Martyrum parentem: *Mater namque martyrii Fides Christiana est.* Luculenter etiam S. Ambro. Serm. 93. de SS. Nazario, & Celso Marty. *Mater martyrii Fidei Catholica est.* Et S. Chrysol. Ser. 228. de S. Apollinare Martyre: *Non tàm mors, quàm Fides, & devotio Martyrem facit.* Ideò hac Apocalyptica fœmina dicitur non solùm prægnans, sed & parturiens *filium masculum*, id est, virilem, & fortem populum, quales sunt Martyres, non absque gravissimis angustiis, & cruciatibus.

S. Justi. *Mater martyrii est Fides.* S. Ambr. S. Chrys.

654 Dixerim verò, partos à Fide Christiana fuisse, semel atque iterum, Martyres. Primò in Baptismatis fonte; qui Canti. 5. 14. appellatur *venter eburneus, distinctus sapphiris*; juxtà Justi Orgelitani mentem: *Eburneus ipse venter fons Baptismi, ex quo renascimur, non inconvenienter accipimus. Distinctus sapphiris, adornatus ex se progenitis, & in confessione clarissimis Sanctis.* Deinde in sanguinis Baptismo, seù martyrio, cujus mater est Fides, & ubi fit martyr à Fide. Jure hic potiori de Fide dixeris, quod S. Chrysologus Ser. 134. de S. Felicitate Martyre, quæ septem filios martyrio consecravit: *Jam tunc eos fratres Martyres genuit, quando eos partus sui septenario numero consecravit & mystico. Ecce mulier iterum atque iterum parturit, donec in virtutem mutetur infirmitas, caro transcendat in spiritum, terra transferatur in cælum. Ardebat, anhelabat, ut eos uno die sacros Martyres pareret. Ecce mulier, ecce mater, quam vita filiorum fecit anxiam, mors securam.* Partus certè Fidei numerosus, & iteratus, sunt Fidei Martyres.

Fides semel, atque iterum beperis Martyres. Can. 5. 14. Just. Or. S. Chrys. *Luminosa Fides.*

655 Quæ mater est Martyrum, luminosum est eorundem Martyrum vexillum, Sole, Luna, & stellis conspicuum: luminaria enim hæc radiosum extant Christianæ Fidei emblema. Sic putabat S. Laur. Justini. de ligno vitæ c. 2. *Fides est radius vivus procedens à fonte vitæ, & à sole intelligentiæ.* Et c. 5. *Ipsa quoque Fides sicut Sol in meridie, ita fulget in mente.* Et deinde inferiùs: *Fides etiam est stella matutina, & corona radiosa.* Consonat Origenes qui lib. in Job, Fidem appellat *Solem vibrantem super faciem terræ.* Et S. Bonaventura Ser. 8. in lumin. Ecclesiæ, ubi latè Fidem componit cum stellato firmamento: *Et habet speciem cæli in visione gloriæ.* Methodius verò relatus ab Andræa Cæsareæ Cappadociæ Episcopo in commentariis ad Apocal. tractans hanc visionem, *Per Lunam*, inquit, *Fidem metaphoricos designari putamus.* Cui adstipulatur S. Anast. Synai-

S. Justi. Orige. S. Bon. S. Meth.

Fidei dogmata duodecim, totidem sunt stellæ. And. Cæ. Sinaita lib. 5. anagogicarum contemplationum in Hexameron. Adde ex Andræa Cæsariensi, in duodecim stellis haberi respectum ad totidem Apostolici symboli veritates, seù fidei dogmata: *Capitis verticem Apostolicorum dogmatum corona redimitum habet.* His duodecim dogmatibus, sive Fidei articulis efformatur Christianæ Fidei diadema, quod illi est eximiæ gloriæ, & ornamento. Conducunt etiam ad hanc Fidei imaginem alæ aquilinæ, quibus in sublime volat, & vibratur heroina fœmina: *Et datæ sunt mulieri duæ alæ, ut volaret.* Aquila enim cum tam perspicaci polleat, tamque clara oculorum acie, ut Solem, lucis fontem, intueatur adversùm inconniventibus oculis; & quàm longissimè posita manifestè discernat; symbolum est Christianæ Fidei opportunum, liberè, ac directè justitiæ Solem intuentis, & divina mysteria longè etiam dissita, & recondita certissimè cognoscentis. De quo Bernardus Ser. 2. de Magis. *Intuemini, & videte quàm oculata sit Fides, quàm lynceos oculos habeat diligentiùs considerate.* Ubi observare licet; pro militari signo, seù vexillo fuisse Romanis, Persis, & aliis etiam Gentibus *Aquilam auream* extensam in hastis argentatis; ut tradit Plinius lib. 10. c. 4.

Apoc. 12. *Lynceei fides oculi.* S. Bern. Plin.

656 Rursus, è regione splendidissimi hujus vexilli, *Visum est aliud signum in cælo: & ecce Draco magnus, & rufus habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus ejus diademata septem.* Vexillum in aere sublatum adversùs Christianæ fidei vexillum, appellat *signum.* Certè videtur fieri allusio ad *purpureum signum Draconis*, quod præferri in bello assolebat à variis nationibus; ut multis probat Lipsius lib. 4. de Militia Rom. cap. 5. ex Ammiano lib. 16. ubi de Juliano veniente in prælium scribit: *Quo agnito per purpureum signum Draconis summitati hastæ longioris aptatum.* Videntur Apocalypticum Draconem figurasse, qui tanquam militare signum in aëre apparuit elatum. Putassem, vastissimum hunc Draconem fuisse appositissimum infidelitatis, sive idololatriæ symbolum, vexillum planè à Dæmone evectum adversùs Christianam Fidem, vel ab ipso nascentis mundi exordio, cùm Draconis larvam assumens Protoparentes in infidelitatis peccatum miserè decurbavit: ut habes Gene. 3. & Ambrosius rectè observat, & expendit lib. de Paradiso c. 13. Tertullianus lib. de Idololatria c. 1. & alii multi.

Apoc. 12. *Draco sanguineus.* *Draco in vexillis.*

657 Et quidem ad hujusmodi significationem bellè habet, ut primò *rufus*, seu sanguineus appareat; *quòd cædi, & sanguini deditus sit*, ait ibi Andræas Cæsariensis; *rufus propter sanguinem Martyrum, quem fundere non cessat*, uti loquitur Eusebius Gallicanus Episcopus in Dominicam 3. post Pascha. Sitiunt planè vehementer idololatria, & idololatræ sanguinem fidelium, & necem, ut sic Christianam Fidem de medio tollant. Deinde capita Draconis septem, totidem cornua, & diademata totidem, ad Tyrannorum imperium, potentiam, astutiam, & capitalia vitia, quibus Dæmon, & infidelitas pugnant adversùs Christi Fidem, sunt referenda.

Andrę. Cęsar.

658 Verùm enim verò adhibe mentem tuam, & sensus, ut pro splendidissimo Fidei vexillo pugnantes videas Ecclesiæ Martyres, ipsius fidei Antesignanos, & propugnatores acerrimos, *Et factum est prælium magnum in cælo; Michael, & Angeli ejus præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli ejus. Et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cælo.* Ubit arridet summoperè ingeniosi mei Alcasaris argutiùs existimantis, Michaelis nomine significari Christum Dominum Martyrum Ducem, & Principem; cujus Angeli sunt Apostoli, virique Apostolici, qui pro Catholica Fide animosè pugnarunt usque ad sanguinis effusionem; ut sic bellum idololatriæ inferrent, atque illam perderent. Probatur primò ex simili Danielis testimonio c. 13. 1. Secundò, quia id est sacro textui conformius, ubi de transitu fidei Christianæ à Judaismo ad Gentilismum. Tertiò, quia non est novum in ænigmate, unam personam supponere pro alia. Nam c. 11. 3. Moyses, & Elias supponunt pro Apostolis, & Apostolicis viris. Christus etiam c. 10. dicitur Angelus fortis, & Apostoli, eorumque successores nominantur sæpè Angeli. A quibus probationibus, aliisque similibus abstineo; contentus solùm Alcasaris auctoritate; cui nixus dico pro nostro instituto luculentiùs; per Michaelem portendi Christum Dominum Cruci suffixum, Martyrum caput, & præcipuum Christianæ Fidei Antesignanum, & propugnatorem eximium: à Cruce enim id habuit præsertim.

Per Michaelem Christus designatur, Martyrum signifer. P. Alcaz.

659 Quapropter Canti. 5. 10. appellatur *Candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* Ubi Justus Orgelitanus, & multi alii: *Candidus ex virginitate, rubicundus in passione.* Etenim dum martyrium Crucis subit, *electus* dicitur *ex millibus.* Hebraicè *vexillatus*, seù *vexillo insignitus*; & propriè *signifer*, seu *Antesignanus*: à verbo *dagal*, id est, vexillum erigere, vexillare, ordinare, instruere, & dirigere aciem. Hispana Biblia Ferrariensis vertit: *apendoneado de millaria.* Alii ex Hebræis; *antesignanus inter myriades*, vel *inter decem hominum millia.* Aut ex interpretatione R. Salomonis: *multis admodum stipatus exercitibus*: Erexit Christus splendidissimum fidei vexillum, & primus extat hujus vexilli auctor & propugnator, quem reliqui Martyres sequuntur, qui etiam fidei antesignani, & propugnatores sunt, fideque ipsa mirum in modum illustrati, & roborati martyrium subiere pro ipsius fidei confessione; ut sic infidelitas ab orbe exterminaretur. Sanè quem Joannes *Michaelem* appellaverat, Sponsa vocat *electum*, *vexillatum*, *antesignanum*: & quos Michaelis Angelos dixerat ille; hæc *myriades* appellat, seù *hominum millia*, aut *exercitus multos.* De quibus Angelis, seu Martyribus subtexit eo Apoca. capite v. 11. *Et ipsi vicerunt eum*, (Draconem scilicèt) *propter sanguinem Agni, & propter verbum testimonii sui, & non dilexerunt animas suas usque ad mortem.* Quod est dicere: hi Angeli triumphatores sunt Martyres generosi, qui in ipso Morte Christum secuti, pro ipsius fide mortem oppetierunt, ut se se ostentarent strenuissimos fidei Antesignanos: quod Christi sanguini, & virtuti divinissimæ referendum est. Sic magno cum probro, & dedecore cecidit idololatria; & gloriosiùs de illa triumphavit Catholica Fides. Atque hæc interpretatio est Andreæ Cæsariensis expendentis præjacta Apoca. verba, & Ru-

Can. 5. 10. Just. Or. Apo. 12. 11. *Angeli Michaelis commilitones, Martyres sunt.*

perti

perti lib. unico de fortitu. c. 14. & 15. *Michael, & Angeli ejus præliari dicuntur; quia verò prælium ipsum sanctorum Martyrum est, continuò subditur: & ipsi vicerunt illum propter sanguinem Agni*, &c.

660 Ergò inter suos Antesignanos emicare videas fidei Christianæ vexillum quaquaversùs suos diffundentis radios, & splendores. Quò enim plus Martyres torquentur, & discruciantur, eò magis fides magnifica, & luculenta. Divinè S. Lauren. Justini. de ligno vitæ c. 6. *Veneremur igitur & nos inter tantos Christi Martyres Fidem nostram Catholicam, in qua isti illustres Athletæ subscripserunt sanguine; Mater namque martyrii fides Christi est. Veneremur planè in SS. Martyrum gloria Fidem nostram.* Apparet utique Orthodoxa fides inter Martyres abundè irradiata, uti vexillum splendidissimum inter numerosum fortissimorum exercitum de hostibus triumphantium, & ovantium. Hic jam illa Canti. verba c. 6. 9. resonant in ore puellorum, *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Videtur Salomon illud idem fidei vexillum suis effigiasse verbis, quod intuitus Joannes est. Pro *castrorum acies ordinata*, transfert ex Hebræo R. Salomon: *Formidanda fortibus suis militibus, ut castra Regum, quæ vexillis insignita sunt.* Genebrardus verò; *splendore mundum territans, ut ordinatæ copiæ strictis cluentes ensibus.* Cypriani Biblia: *espantosa como vanderas de exercitos.* Sermo mihi est sublimiori sensu de fidei Christianæ vexillo Martyribus, uti Antesignanis militibus, stipato; cujus si pulchritudinem, & splendorem spectes, igneos jaculatur radios, quibus audaces oculorum pupillas feriat: si verò fidei Martyres intuearis, constantes, atque fortes in excipiendis quantumvis immanibus tormentis, nihil aliud videre te arbitreris, quàm armatam aciem horribili ensium, telorum, bellicarum machinarum, & igneorum tormentorum stridore irrumpentem. Sunt pro hac explicatione nobiles Interpretes. Philo Carpathius ibi, & Justus Orgelitanus. *Quanti Tyranni & persecutores, unà cum auctore suo Diabolo conati sunt Ecclesiæ virtutem dirumpere, & prævalere non potuerunt. Quare? Habet enim S. Ecclesia castrorum aciem ordinatam, quando, imminente Christo, nec Martyres persecutio devincit.* Ideò Christiana Fides ad instar promicat vexilli splendidissimi: ideò sicut aurora consurgens tenebras infidelitatis fugans, ac disperdens: ideò sicut luna pulchra, *quæ* (ut Beda ibi interpretatur) *nullis adversitatum nebulis potuit unquam cohiberi, quin & lunæ in se pulchritudinem præmonstraret*: ideò electa ut sol, lucis fons (id est, ad eximiam perfectionem pervenit) quia Martyres habet propugnatores.

S. Laur. Justin.

Can. 6. 9.

R. Salo.

Genebr.

Just. Or.

CAP. II.

Martyrum Fides est pretii longè majoris, quàm aurum igne exploratum.

661 LUculentum pro præfixo argumento est illud Petri cap. 1. v. 7. Epist. 1. ubi dubio procul sermo est de laboribus, ærumnis, & cruciatibus, quos Martyres præsertim exantlarunt fortiter pro fidei, quam semel receperunt, tenaciter retinendæ causâ. *In quo exultabitis modicum nunc, si oportet contristari in variis tentationibus: ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, & gloriam, & honorem, in revelationem Jesu Christi.* Verba preme. *In quo*, id est, propterea, ut ad Hebr. 2. 18. & alibi sæpè: vel referendum est ad tempus novissimum proximè præcedens: & sunt qui ad Deum, & ad Christum referunt. *Exultabitis*, positum ex more Hebræo pro imperativo *exultate*; aut pro indicativo, *exultare debetis.* Pro *modicum nunc si oportet contristari*, Pagninus vertit: *nunc ad breve tempus afflicti*, si opus sit. Particula *si*, vel accipi potest conditionaliter, vel causaliter pro *quia*, vel comitanter pro *cùm*: aut per concessionem, ut *esto.* Pro *contristari*, nonnulli vertunt, *contristati*, afflicti. Pro *tentationibus*, Tigurina habet, *experimentis.* Quibus verbis ostendit Petrus, Martyribus summi esse gaudii materia, acerba quæque subire. Primò, quia pro Christo afflictantur. Secundò, quia præstò adest corona gloriæ, ad cujus intuitum est exiguum, imò penè nullum afflictionis tempus. Tertiò, quia per martyrii cruciamenta explorat Deus, quanta in illis sit fidei virtus, quæ tribulationibus purior apparet, robustior, & splendidior. Quod sequentibus verbis explicatur, assumpta auri per ignem explorati similitudine.

1. Petri 1. 7.

Aurum fidei probata.

Pagnin.

662 *Ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur.* Clemens Alexand. 4. strom. post medium habet, ut modò Græcus Textus, *Ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro, quod periit*: vel etiam ut alii volunt, *perire videtur.* Non est dubium, quin de Martyrum fide loquatur; hæc enim est, quæ probatur, & exploratur potissimè, ut explorari solet aurum: *fe de prueba, de linda ley la de los Martyres. Probatio* Græcè est Δοκιμιον, id est, exploramentum, exploratio, experimentum. Et quia hoc per martyrii cruciatus Deus præstat speciatim, probatio sumitur pro specie afflictionis, qua virtus in apertum profertur. Eadem metaphora usurpatur, in multis aliis sacræ Scripturæ locis. Job verè patientiæ Martyr fidelissimus cap. 25. 10. *Probabit me quasi aurum, quod per ignem transit* & Ps. 65. 10. sub Martyrum persona Poeta coronatus ait: *Probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum*, &c. Sic Martyrum fides innumeris cruciamentis est abundè examinata. Ut enim S. Ber. Epist. 42. *Qualis sit uniuscujusque fides, tribulatio probat*, & S. Augu. in Ps. 118. *Vires fidei tentatione discutiuntur.* Sed in auri metaphora, & experimento perstando rem totam illustro.

Cle. Ale.

Auro pretiosior in Martyribus.

Job 25. 10.

Ps. 65. 10.

663 Primò, Martyrum fides bellissimè auro assimilatur universa metalla longè superanti, imò auro ipso longè est pretiosior. Expende S. Cypriani Martyris verba lib. 3. Epist. ultima ad Martyres, & Confessores. *Quid miramini, si vasa aurea, & argentea in metallum, id est, auri & argenti domicilium dati estis, nisi quòd nunc metallorum natura conversa est, locaque quæ aurum, & argentum dare antea consueverant, accipere cœperunt. Imposuerunt quoque compedes pedibus vestris, & membra felicia, ac Dei templa infamibus vinculis ligaverunt, quasi cum corpore ligetur & spiritus, aut aurum vestrum ferri contagione maculetur: Dicatis Deo hominibus, & fidem suam religiosa virtute testantibus ornamenta sunt, non vincula.* Vides Martyres prædicari aureos, & auro quovis præstantiores, dum fidem religiosa virtute testantur? Sunt planè, & plenè aurei à fide aureâ per charitatem formata, & per constantiam armata. Id etiam clarebit, si expendatur auri etymologia. Aurum dici putant multi *ab aura* splendenti, sive ab *aurora* primo diei splendore. Jul. Scal. lib. 4. poet. c. 16. *Auri aura refulsit, inde aurum à fulgore vetus vox Græca.* Imò aurora dici existimatur, *quasi aurea hora*, vel *auræ hora*; id est splendoris, diluculi tempus. Ita Priscianus lib. 12. & Isidorus lib. 5. cap. 31. Hæc etiam auri etymologia eminet in Martyrum fide, quæ auroræ splendenti est omninò similis. Accipe S. Petri Damiani verba lib. 2. Epist. 5. *Tunc autem in homine dicitur, ut lux fiat, cùm datur, ut illuminatio sibi credulitatis refulgeat; prima quippe mentis lux fides est, unde jam fidelibus dicit Apostolus: fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux à Domino.* Et Philo Carpathius, Justus Orgelitanus, Aponius, & alii ad illa Canti. 6. verba. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* putant in aurora designari fidem Christianam, post infidelitatis tenebras; fidem, inquam, in Martyribus rubescentem livore divinissimo; aurora enim aurea est hora, sed purpurea; de qua Virgil. Æn. 3. *Rubescit stellis aurora fugatis*, & lib. 9. *Prævia flammiferi cursus aurora rubebat.*

S. Augu.

Aurifex Deus suos probat ut aurum.

S. Cypr.

S. Cypri.

Aurei totem sunt Martyres, & auro pretiosiores per fidem.

Auri etymologia.

S. Pet.
S. Dam.
Prima lux fides.

Virgil.

664 Secundò, ut hujus auri dotes probet, & exploret Deus, purius, & splendidius efficiat, induit aurificis, probatoris, seu conflatoris personam, dum Martyres patitur cruciatibus dari. Sic eleganter ostendit S. August. in Ps. 61. *Venit tribulatio mea, venit & patientia mea, & purgatio mea*, &c. *Fornax mundus, palea iniqui, aurum justi, ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult ergo artifex facit, ibi me ponit artifex, tolero; jubeor ergo tolerare, novit ille purgare; ardeat licèt palea ad incendendum me, & quasi consumendum me, illa in cinerem vertitur, ego sordibus careo. Quare? quia Deo subjicietur anima mea, quoniam ab ipso patientia mea.* Consonat luculenter S. Cyprianus lib. de laude martyrii: *Auro, ut ipse dixit, similes esse debemus. Aurum quippe cùm relucentibus terris tremulo videris splendere sub lumine* (alii emendant *sub lamina*) *& in liquidum flammis torrentibus resolvi (nam & artificis gratiâ sic ferè est) caminis quoties anhelantibus æstuans ignis emovitur, aditu terrestri, canali angusto, dives flamma eligitur, & refluentibus glebis arena retinetur. Unde necesse est universa sufferre, quò possimus omni scelere carere.* Rectissimè, & pro Martyrum Fide à Deo aurifice explorata, opportunissimè. Vide locum Proverb. 17. 3.

Syrus.

Fidei pretium per

665 Et quia aurum, vel argentum solet igni tradi probationis gratiâ, non tàm ut sordes deponat, quàm ut ejus puritas, & dotes innotescant; Deus similiter martyrio afficere & probare solet Justos, ut quàm sit illorum fides splendida, & robusta, omnibus appareat. Atque in hoc etiam sensu capio Petri verba, quæ Syrus extulit: *Ut examinatio Fidei vestræ, & approbatio appareat excellentior, quàm aurum purgatum, quod per ignem purgatum est.* Qua etiam interpretatione gaudet illud Ps. 16. 3. *Probasti cor meum* (id est, fidem meam, corde enim creditur ad justitiam) *& visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.* Ad quid, rogo, probavit, si nullam in eo deprehendendam impuritatem prænoverat? Planè ut fidei præstantia innotesceret hominibus; & Deus ipse fidem Martyrum, quam priùs ante martyrium speculativè (ut ita loquar) noverat, practica experimentali cognitione deprehenderet; non dissimili ratione, quâ Christus dicitur à Paulo *didicisse ex iis, quæ passus est, obedientiam*; non quòd aliquid denuò didicerit, sed quia hæc, quæ didicisse dicitur, experientiâ probavit, & contrectavit. Inde fit, ut constans Martyrum fides ignibus, equuleis, aliisque innumeris tormentis explorata sit Deo acceptior, & Ecclesiæ gratior; uti esse solet aurum igne examinatum, & purgatum. *Oro de majores quilates.*

tormenta innotescit.

Ps. 16. 3.

666

667 Cæterùm, agnoscenda hìc est Christi virtus, qui Martyribus, dum cruciamenta subeunt se adjungit, velut plumbum, seù stannum auro & argento, ne ab igne exurantur. Plumbum enim, vel stannum admisceri solet in conflatione auro, ne ignis aurum excoquens aliquid vi sua de ipsius auri pondere detrahat. Ea propter Filius Dei dicitur Zachar. 4. 10. *Lapis stanneus*, ut argutè exponit S. Hiero. ibi: *Sicut enim stannum ab igne alia metalla defendit, & cùm sit natura æs, ferrumque durissimum, si absque stanno fuerit, uritur, & crematur, sic omnis Angelorum hominumque fortitudo si non habuerit auxilium Salvatoris imbecilla probatur, & fragilis.*

Christus se adjungit Martyribus seu stannum auro.

Zacha. 4. 10.

S. Hiero.

Denique, cùm Martyrum fides igne tribulationis examinata adeò sit pretiosa, opus est, ut ex illa, tanquam ex auro purissimo, elegantissima monilia affabrè elaborentur ad Ecclesiæ Christianæ ornatum, & gloriam. Ut enim eleganter S. August. in Psal. 61. *Numquid lucet aurum in fornace artificis? In monili lucebit, in ornamento lucebit: patiatur tamen fornacem, ut purgatum à sordibus, veniat ad lucem.* Ergo ad opus.

S. Augu.

Ex aurea Martyrum Fide corona Christi & Ecclesiæ pretiosissima.

668 SIc appellari reor Martyrum fidē. Cant. 5. 11. ubi Sponsa commendans Christi Sponsi divinissimi caput, ait; *Caput ejus aurum optimum.* Etenim Sponsi caput exponunt ex Interpretibus multi, *capitis ornamentum.* Rabbi Salomon credit esse *diadema* auro, lapillisque distinctum regifica varietate. Vatablus ita effert: *Cujus caput redimitum est auro obrizo.* Quinta editio, ut refert Theodoretus, habet: *Caput ejus insigne auro.* R. Abenezra putat esse *rem rotundam de monilium genere*, cujus mirabili, & igneo splendore irradiabat Sponsi caput. Imò Hebræa vox *chetem* pro *auro* posita significat etiam *coronam*, *diadema*, ut notatur in Complutensi Dictionario, & patet ex Ps. 44. 8. juxta S. Hieronymi translationem: *Astitit Regina à dextris tuis in diademate aureo*: Corona hæc ex auro erat purissimo igne explorato. Unde pro *aurum optimum*,

Cant. 5. 11.

Caput aureum, id est, corona.

Ps. 44. 8.